

*Investigatio ejus rei, quam Author singulis locis significat.* Unde patet verum interpretem non tam sollicitum esse debere de Orationis interpretandæ veritate aut falsitate, quàm verò aut falsò sensu: eosque qui investigaverit atque indicaverit, hunc redarguendò, illum verò confirmandò, hoc est, Scriptoris intellectui conformem comprobandò, quantumvis etiam rectæ rationi dissentaneum, ac veritati repugnantem, suo tamen muneri abundè satisfecisse, omnesque illius partes implevisse censendus est.

3. Verus igitur S. Literarum Interpres erit, qui earum veros sensus elicere, eosque tales esse ostendere; ac falsos deprehendere & redarguere potest: adeò ut illius munus, duabus quasi partibus absolvatur atque constet: nimirum verorum interpretamentorum indagazione ac comprobatione, & falsorum deprehensione ac refutatione. Quæ sanè non suffecerit præstitisse aliquâ probabilitate, aut verisimilitudine, ut vulgò in scriptis profanis obtinet: sed inconcussâ certitudine inexpugnabilibusque argumentis, quibus planè ac plenè acquiescere possit ac debeat animus solidæ veritatis cupidus. Cùm enim non de rebus levibus, sed gravissimis; non de terrenis, sed cœlestibus; non de bonis fluxis & temporariis, sed æternâ animarum nostrarum salute, quâ nihil pretiosius homini, nihil optabilius excogitari potest, agatur, non instabili arenæ, non infirmo labantique fundamento; sed inconcussæ immobilique rupi totum fidei nostræ ædificium superimponendum.

4. Hanc autem Libros sacros interpretandi provinciam (præter alios, siqui forsitan sint, quod non negamus) dignè ac debitè sustinebit, qui locorum explicandorum veritates expiscari, ac expositionum ab aliis super eis factarum falsitates deprehendere, ac se deprehendisse argumentis minimè dubiis astruere valet. Dicimus *veritates & falsitates*, quod procul dubiò mirum videbitur, cum superiori capite tam anxie ac diligenter orationum veritates à veris sensibus distinxerimus, & hujus capituli §. 2. interpretem non ab illis, sed ab his verum dici debere statuerimus. Verum enim verò mirari desinet, & nos ratione niti animadvertet, quicumque observare nobiscum voluerit, aliter cum Scriptis profanis atque humanis, aliter cum sacris atque divinis comparatum esse, atque in his veritates & veros sensus indissolubili nexu ubique copulari, quod in illis non obtinet; atque adeò qui illas eruerit, eâdem operâ simul & hos eruisse, & qui aliorum explicationes falsitates continere demonstraverit, easdem etiam falsas esse, demonstrasse.

Hæc autem ita sese habere, ex eò manifestum est, quod S. Literæ Deum ipsum habeant authorem, qui talibus usus fuit Amanuensibus, quos in viam veritatis manu quasi duxit, quibusque in scribendò semper adfuit Veritatis Spiritus, in quem ne umbra quidem falsitatis aut fallaciæ cadere potest. Un-

E

de